

ut a censura immunem reddat etiam probabilis duntaxat ignorantia facti, ut explicat ibidem Glossa. Ratio autem conclusionis est; quia ignorantia quæ omnino affectata aut supina non est, excusat a contemptu et contumacia, l. *Si ignorans* 50 ff. *Locati* consequenter etiam a censura; cum hæc non nisi in contumaces feratur per dicta supra.

30. *Et juris.* — Resp. II. Invincibilis quoque, vel saltem probabilis ignorantia juris ecclesiastici præcipientis, vel prohibentis quidpiam sub censura, ab ea incurrenda excusat. Rursus communis DD. satisque clare patet ex c. *de Constit.* in 6, ubi dicitur: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis perstatuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, seu supina. » Quæ decisio, cum favorabilis sit, multumque rationabilis, non tantum in statutis ordinariorum, sed etiam in constitutionibus pontificiis locum habet: nam etiam Papa ordinarius est; et quidem ordinarius ordinariorum.

31. Nec obstat, quod delinquentes contra alias leges sub certa pœna aliquid prohibentes, eadem pœna juste plectantur, etsi ignorantes pœnam, sub qua lex aliquid prohibet; uti experientia et praxi ubique recepta constat in latronibus, adulteris, incestuosis, prout etiam nos supra tit. 3, *de Simonia* n. 321, jam probavimus. Nam disparitas est circa censuras, et pœnas vindictivas, quod ad has nulla requiratur contumacia, sed sola sufficiat inobedientia erga Deum, vel legislatorem humanum, ob quam tum in vindictam sceleris, tum ad terrorem aliorum pro bono et tranquillitate communi indigitur pœna scienter agentibus contra legem divinam, aut humanam, etsi ignorent pœnam legis. Censura vero utpote pœna medicinalis requirit contumaciam in hoc consistentem, quod quis sciat, aliquid sub censura esse prohibitum, et tamen illud committat, sicque contumaciter agat contra legem ecclesiasticam, eamque quasi contemnat, Sylvester, vers. *Ignorantia*, num. 14. Navarrus, in *Manual.* c. 27, num. 274, atque etiam diximus *de Simonia*, loc. cit.

32. *Doctrina practica ad propositum.* — Infertur proin; quod, si aliquis sciat, opus aliquod esse prohibitum vel præceptum, probabiliter tamen ignoret, ei esse annexam censuram, eam non incurrat: consequenter

rustici, et alii simplices homines ex hac ratione sæpe excusentur a censura per generalem legem; canonem, aut decretum ecclesiasticum imposita, eo quod eam hic et nunc datam rarissime sciant; dummodo excipias excommunicationem in percussores clericorum latam, utpote fere omnibus etiam rusticis notam; item alias excommunicationes communiore, vel publice denuntiatas.

33. *A censura etiam excusat gravis metus.* — Resp. III. A censura insuper regulariter excusatur, qui ex metu gravi mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ honorum, etc., transgreditur legem ecclesiasticam sub censuræ pœna positam, Piching h. t. n. 47. Suarez, Layman, et alii communiter. Ratio est; quia leges ecclesiasticæ regulariter loquendo non obligant cum periculo vitæ, membrorum, vel alterius gravis damni, juxta communem doctorum, arg. c. 4, *de Reg. Jur.* ibi: « Quod non licitum in lege, necessitas fecit licitum. » Accedit ratio; quia lex humana debet esse secundum naturam humanam, id est, humanæ fragilitati accommodata, id autem non esset, si ordinarie obligaret cum periculo tam gravis damni.

34. *Nisi violatio legis cederet in damnum boni publici, aut cederet in contemptum legis, aut potestatis, vel auctoritatis ecclesiasticæ.* — Dicitur autem notanter, regulariter; quia in casibus extraordinariis, quando videlicet observatio legis humanæ moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cederet in contemptum fidei, vel legis, aut potestatis ecclesiasticæ, transgrediens ex gravi metu etiam vitæ legem sub censura positam non excusatur ab illa: uti bene cum aliis docent Layman, lib. I, tract. 5, c. 5, n. 9. Suarez, *de Censuris*, disp. 6, sect. 3, et alii. Ratio est; quia cum in talibus casibus nullus metus excuset ab observatione legis ecclesiasticæ, prout cum aliis amplius diximus in Theologia nostra morali tract. 2, dist. 2, q. 3, a n. 23, ita etiam non excusat a censura.

35. *Censura jam lata invalida est, si censurans caret jurisdictione.* — Resp. IV. A censura etiam contra se jam lata quis immunis, et illa invalida est, ita ut nullum producat effectum, triplici ex capite, videlicet I. Ob defectum jurisdictionis, si nempe fertur ab eo, qui vel absolute in censuran-

dum caret jurisdictione ferendi censuram; vel jurisdictionem quidem sed impeditam habet per excommunicationem, vel suspensionem sibi in inherentem, siquidem excommunicatus, vel suspensus alium excommunicare non potest, can. *Audivimus* cau. 24, q. 1. juncta Glossa ibid. Quis autem habeat potestatem et jurisdictionem ferendi censuram, habes supra n. 6, v. 7.

36. *Vel eam impeditam habet per propriam censuram, vel appellationem.* — Idem dicendum foret, si prælatus habeat jurisdictionem suspensam per appellationem legitime interpositam ante sententiam censuræ absolute latam, ut si is ferat, seu potius comminetur censuram contra Sempronium, quod nisi intra tot. v. g. dies satisfecerit, hoc vel illud omiserit aut præstiterit, noverit se esse excommunicatum; Sempronius vero ante elapsum terminum præfixorum dierum appellet: tali enim casu Sempronius censuram excommunicationis non incurreret etiamsi sub censura injunctum minime adimpleret. Ratio est; quia, quod bene notandum, licet appellatio post censuram præsertim excommunicationis actu, et absolute jam latam, seu inflictam, effectum illius minime impediatur, vel suspendatur, textu claro c. *Is qui* 20, *de Sententia excommunicat.* in 6, ibi: « Sane sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ingressu ecclesiæ lata suspensio per appellationem sequentem minime suspenduntur: » tamen censuræ effectus quis per appellationem suspenditur, si quis contra eam nondum absolute, sed conditionate duntaxat latam seu comminatam in tempore legitime appellet, textu claro c. *Præterea* 48, *de Appellat.* et jam dictum est lib. II, *de Appellat.* n. 212.

37. *Insuper invalida est censura ex defectu ordinis, vel citationis.* II. Redditur censura invalida ob neglectum substantialem ordinem; ut si judex eam ferat, nulla nec unica quidem præmissa admonitione; vel si omitatur citatio rei, isque ad sui defensionem non admittatur, juxta dicta supra a n. 21.

38. *Vel justæ causæ qua deficere potest; quia vel adest, non tamen probata habetur.* — III. Censura contra aliquem lata est invalida ob defectum justæ, aut sufficientis causæ juxta dicta supra n. 8. Porro sufficientia, vel justitia causæ tripliciter potest deficere; videlicet primo, si nec a parte rei adest, nec secundum allegata et probata præsumitur adesse; ut si quis excommunicetur,

quod eleemosynam tribuerit, vel quod fecerit id, quod facere illicitum, et pravum non est. Cujusmodi excommunicatio utique invalida est, cum contineat errorem intolerabilem, uti jura loquuntur, c. *Per tuas de Sentent. excommun.* et c. *Venerabilis*, § *Potest* eod. in 6.

39. Deinde potest justitia, vel sufficientia causæ deesse, siquidem causa a parte rei adest, crimen v. g. revera commissum est, de eo tamen reus nec confessus, nec legitime convictus habetur; etsi enim in tali casu causa subsistat secundum se, tamen non subsistit secundum judicium, seu forum externum; consequenter sententia censuræ ob talem nec probatam, nec concessam causam est nulla, nullusque effectus censuræ saltem in foro externo.

40. *Vel deest et tamen probatur in foro externo.* — Tertio potest taliter deficere causa, quod quidem a parte rei prorsus non subsistat, tamen ut existens juridice probatur per falsos testes, v. g. per falsa instrumenta, vel gravi metu extortam falsam confessionem putati rei; in quo casu etsi talis reus coram Deo censuram aliquam non incurrat, nec effectibus ejus subsit, tamen in foro externo habere se debet pro censurato; prout magis patebit ex sequentibus. Nam.

41 et 42. *Innocens censuratus, v. g. excommunicatus secundum allegata et probata, in foro externo pro tali habere se debet.* — Quæritur VII. An? quando? quomodo censuræ excommunicationis, v. g. et effectibus ejus quis subiaceat? vel ab eis immunis sit? qui vel absque ulla vere subsistente causa, sicque innocens, vel saltem sine legitima causa censuratur, v. g. excommunicatur? Resp. Quamvis ille, qui vel absque ulla vere subsistente causa, consequenter penitus innocens, vel saltem absque sufficienti legitima causa censuratur, v. g. excommunicatur reipsa coram Deo, et in foro conscientiæ censuram, excommunicationem v. g. non incurrat, nec effectibus illius subiaceat, consequenter communibus Ecclesiæ suffragiis, aliisque spiritalibus commodis et facultatibus privatus minime existat, etc. (cum talis censura ob defectum causæ revera nulla sit) nihilominus si secundum allegata et probata in judicio censetur nocens, et causa ad censuram sufficiens adesse, debet censura in foro externo, et in facie Ecclesiæ tam a censurato, quam ab aliis servari, donec vel ab ea præsumptus reus fuerit absolutus, vel

innocentia ipsius, atque error censuræ publice innotuerit. Navarr. *Manual.* cap. xxvii, n. 3. Covarruvias in c. *Alma mater* p. 2, § 7, n. 5. Pirhing, h. t. n. 41, cum communi aliorum, arg. can. *Si quis a proprio* 2, cau. 11, q. 3, et c. 1, eod. cau. et q. ibi: « Sententia pastoris sive justa, sive injusta fuerit timenda est. » Concordat c. *Inquisitioni* tuæ 44, h. t. ubi innocenter, et ob sanctam observantiam legis divinæ, ex justa tamen præsumpta causa in foro externo excommunicatus censuram in eodem foro servare cogitur.

Ratio est: tum quia in foro externo adest causa saltem præsumpta: tum quia hoc necesse est ad publicam utilitatem et disciplinam, ipsamque iudicis ex officio, secundumque allegata, et probata iudicantis auctoritatem, consequenter ad bonum publicum tuendum, cui bono bonum privatum merito postponi debet. Et certe si etiam in foro externo censura servari in tali casu non deberet, malevolis lata aperiretur porta, quaslibet censuras contemnendi; cum dicere possent, se coram Deo esse innocentes quamvis in foro externo per allegata et probata nocentes sint.

43. *Quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere posset.* — Inferitur, quod si clericus a parte rei coram Deo innocens excommunicetur secundum allegata et probata, in foro externo irregularitatem non incurrat, si ita excommunicatus ordinem aliquem exerceat; quia revera excommunicatio fuit nulla: si tamen id facere deprehendatur, vel de hoc in iudicio accusetur, vel conveniatur, tanquam irregularis condemnari potest, cum enim in foro externo censeatur excommunicatus, tanquam irregularis declarari debet, si in tali excommunicatione ordinem exercuisse demonstratur. Imo si monitus ab exercitio ordinis v. g. celebratione Missæ desistere nollet, tunc de novo excommunicari posset, propter suam inobedientiam, contumaciam, et apparentem contemptum potestatis ecclesiasticæ.

44. *Censura est triplex, videlicet: Excommunicatio, suspensio, interdictum.* — Quæritur VIII. Quotuplex sit censura ecclesiastica? Resp. I. Censuræ ecclesiasticæ proprie tales tantum sunt tres, videlicet excommunicatio, suspensio, et interdictum. Ita communissima Doctorum contra Sotum, et alios paucos, cessationem a divinis, et irregulari-

tatem censuris annumerantes. Conclusio nostra patet ex c. *Quærent.* 21, de *Verbor. signif.* ubi Papa interrogatus, quid per Censuram ecclesiasticam intelligatur, respondet, « quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi. »

45 et 46. *Quævis harum alia est a jure, alia ab homine, alia lata, alia ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Censura quævis dictarum dividitur ulterius in eam, quæ est a jure, et in eam, quæ est ab homine. Illa est, quæ per sacros canones, constitutiones, aut decreta, vel futura tanquam jura ecclesiastica imposita semper manet etiam mortuo conditore canonum. Ab homine est, quæ a iudice, vel prælato ecclesiastico per modum mandati, aut sententiæ judicialis fertur, ab eoque sic dependet, ut ejus jurisdictione per mortem, vel alio modo extincta, a nemine amplius incurratur, quamvis illi, qui ante finitam hujusmodi jurisdictionem Censura ab eo innotati fuere, ligati adhuc maneant, Laym. lib. 1, tr. 5, p. 1, c. 2. Palao, tr. 29, disp. 1, pun. 2, n. 2.

Rursus dividitur censura, præsertim quæ jure, in latæ, et ferendæ sententiæ. Censura latæ sententiæ est, quæ ipso facto, seu criminis perpetratione, et mandati ecclesiastici transgressione incurritur absque sententiâ condemnatoria. Ferendæ sententiæ censura est, quæ quidem in jure statuta jam habetur, tamen a delinquente non statim ipso facto, seu mandati transgressione incurritur, sed requirit sententiâ iudicis condemnatoriam, debetque primum a iudice infligi. Unde autem colligatur, seu dignoscatur, censuram aliquam esse ferendæ, vel latæ sententiæ, dicemus infra § 3, a n. 79. (ADNOTATIO XLIX.)

§ II.

DE EXCOMMUNICATIONE UT SIC, ET DE EXCOMMUNICATIONE MAJORI IN SPECIE.

47. *Excommunicatio juxta nominis etymon. quid?* — Excommunicatio juxta nominis etymologiam idem est ac extra communionem separatio. In proposito tamen sumitur pro censura ecclesiastica, qua quis a communione fidelium separatur: prout cum communi, doctores. Excommunicationem ut sic definit Scotus, 4, dist. 19, q. un. § *De quinto*, ubi ait: « Excommunicatio

simpliciter, quæ est sola major, est exclusio alicujus a communione fidelium. »

48. *Dicitur etiam anathema.* — Porro excommunicatio alio nomine dicitur anathema: græce significat separationem alicujus a cæteris partibus; et quidem frequentius prout ejusmodi separatio fit ab Ecclesia tanquam alicujus execraudi et maledicti, prout hæreses atque hæretici, alique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur.

49. *An? et in quo proprie differat anathema ab excommunicatione?* — Interim licet excommunicatio et anathema essentialiter non differant (utraque enim importat alicujus separationem a communione Ecclesiæ) differunt tamen quoad solemnitatem. Nam excommunicatio quandoque incurritur ipso jure, quandoque profertur per sententiâ iudicis in scriptis comprehensam; anathema vero infligitur cum aliis cæremoniis, ad terrorem cæterorum præscriptis, can. *Debent.* 11, q. 3. Siquidem debent duodecim presbyteri circumstare episcopum, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas post latam anathematis sententiâ, in terram projiciunt, et pedibus conculcant: cui solemnitati aliæ quoque maledictiones, et execrationes verbales addi solent. Hinc c. *Cum non ab homine de Judicis* clericus depositus incorrigibilis primum excommunicari: deinde vero crescente contumacia anathematis mucrone feriri jubetur. His prænotatis

50. *Excommunicatio proprie quid?* — Quæritur L. Quid? et quotuplex sit excommunicatio? Resp. Excommunicatio ut sic est censura ecclesiastica, qua homo christianus a communione seu corpore fidelium excluditur, et bonis, quæ illi inter se communicant, privatur. Ita in re communis, arg. can. *Omnis christianus*, 32, cau. 11, q. 3, ibi: « Omnis Christianus, dilectissimi qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur: quomodo? scilicet quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione removetur; unde illos, quos Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat. Concordat can. *Canonica.* 107, ead. cau. et q. juncto c. *Si quem.* 59, de *Verb. Signif.* Dicitur censura loco generis. Additur quia homo Christianus, quia infideles, cum nunquam baptizati, consequenter Ecclesiam nunquam adhuc ingressi sint, ne-

que membra Ecclesiæ existant, nequeunt excommunicari; bene vero hæretici, utpote baptizati, et Ecclesiam ingressi. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ. Qualiter autem excommunicatio a communione, aliisque bonis fidelium privet, patebit ex dicendis infra de effectibus excommunicationis a n. 54.

51. *Alia est major.* — Resp. II. Excommunicatio præter divisionem, quam cum aliis censuris communem habet, juxta dicta supra § *Præc.* specialiter dividitur in majorem, et minorem. Excommunicatio major est censura ecclesiastica, qua christianus activa et passiva communione fidelium, bonorumque inter se simpliciter, et quasi ex toto privatur. Est denuo in re communis, præsertim Doctoris Subtilis in 4, dist. 19, q. un. § *De quinto.* Patebitque ex dicendis infra a n. 34.

52. *Alia minor: et quæ?* — Excommunicatio minor est censura ecclesiastica, qua homo Christianus privatur perceptione sacramentorum, c. *Si quem de sent. excomm.* juncto c. *Si celebrat, de cler. excomm.* atque amplius declarabitur infra agendo specialiter de hac excommunicatione § 5.

53. *In jure nomine excommunicationis simpliciter positæ semper intelligitur major.* — Interea notandum quod quancumque in jure decreto, aut sententiâ aliqua simpliciter nominatur, aut profertur terminus excommunicatio, semper intelligatur excommunicatio major, textu expresso c. *Si quem.* 59, h. t. ibi: « Si quem sub hac forma verborum illum excommunico, vel simili excommunicari contingat, dicendum est, eum majore excommunicatione ligatum esse. »

54. *Communio fidelium triplex est.* — Quæritur H. Quinam sint effectus excommunicationis majoris? Resp. Plures, et graves. Patebit inductione infra a n. 60, ponenda, postquam prius pauca pro faciliore, et clariore intelligentia excommunicationis majoris, et effectuum illius, ex S. Bonaventura declaraverimus, varietates communionis fidelium, vel potius honorum, quibus inter se communicant, explicando notandum itaque, triplicem esse communionem fidelium, qua inter se communicant, videlicet pure internam, pure externam, et mixtam.

55. *Videlicet pure interna.* — Communio fidelium pura interna consistit in fide, charitate, et gratia, qua inter se copulantur et